UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Patris Thomæ à Jesu ... Opera Omnia

Homini Religioso Et Apostolico Tam Qvo Ad Vitæ Activæ, Qvam Contemplativæ functiones utilissima, Duobus Tomis Comprehensa. In Qvibvs Singvlari Pietate, Varia Ervditione Clariori Et Breviori Stylo Continentvr Et Explicantvr ...

Tomás <de Jesus>

Coloniæ Agrippinæ, 1684

Præfatio Ad Lectorem, Et Totius Operis Distribvtio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38621

Visual Library

PRÆFATIO AD LECTOREM, ET TOTIUS OPERIS DISTRIBVTIO,

QUIA arduam, à paucis intellectam, paucioribus verò tritam (non sine justo timore & reverentia) Orationis supernaturalis, & infusæ viam ingredimur, naturam, methodum, proprietates, gradusque illius scrutaturi, visum fuit in ipso hujus Operis limine, pro plenori ejusdem Operis claritate, breviter Orationis Infusæ Divisionem præmittere. Orationem verò infusam (ut breviter vocis explicemus notionem) eam appellamus, quam DEVS liberaliter ac supernaturaliter nobis infundit, uti plenius primi hujus Operis parte exponemus. Quid sit oratio infusa?

Hæc igitur in triplex distribuitur genus: quorum unum ab infusa Religionis virtute; alterum à Spiritu sancto, mediis donorum habitibus specialiùs moventè; tertium immediatè ab ipso DEO, sine habituali alicujus Doni interventu, per modum actus procedit. Quæ omnia, in partes suas distincta, fusiùs discursu Operis prosequimur. Triplex ejus genus, seu gradus.

Horum autem graduum Orationis distantiam & differentiam metiri perspicuè possumus, tum ex parte principii, tum (ut Scholasticorum loquamur more) ex parte modi tendendi in sua objecta. Prioris equidem generis Orationis infusæ principium, homini in ipsa justificatione, simul cum reliquis virtutibus moralibus supernaturalibus infunditur, ut communis est Theologorum doctrina cum D. Thoma 1. 2. quæst. 63. art. 3. Actus namque Orationis infusæ hujus generis, elicitur ab habitu virtutis Religionis moralis infusæ. Quia tamen humano modo, labore videlicet industriaque nostra acquiritur, acquisitæ Orationis nomine meritò proprièque venit intelligenda, quamvis acceptione latiori Infusa quoque meritò dici posset. Primus hujus Orationis gradus declaratur.

Alter Orationis infusæ gradus priore sublimior, à Spiritu sancto, peculiariter animam eminentioribus & uberioribus auxiliis (mediis tamen & præinfusis habitibus, quos Spiritus sancti nuncupamus dona) excitante & movente, procedit: de quo luculenter Apostolus ad Galatas 4. Quoniam, inquit, estis filii, misit DEUS Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem: Abba Pater. Et ad Rom. 8. Spiritus adjuvat infirmitatem nostram: nam quid oremus sicut oportet, nescimus; sed Spiritus ipse postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Longè profectò, quàm præcedens ille, nobilior hic fecundiorque orandi modus, quo sancti Spiritus peculiari ductu ac singulari magisterio, abundantiori repleti gratia, & clariori illustrati luce, quid & qualiter petere debeamus, perspicuè erudimur, atque ad congruè dignèque petendum divinis illustrationibus atque efficacibus inspirationibus, tamquam validissimis quibusdam adminiculis præmovemur, atque adjuvamur, quibus ea, quæ tum dæmones, tum passiones nostræ exercitio Orationis objiciunt & ingerunt impedimenta, validè viriliterque debellantes & superantes, ad sublimem Divinorum assurgimus intuitionem. Item secundus.

Aliquando denique Divina clementia, messabili dignatione sua, (atque hoc est tertium Orationis genus) sanctissimas ac purgatissimas quorumdam animas, ad altiorem & sublimiorem Orationis & Contemplationis modum, sive gradum, immediatè tangendo, ac splendidissimo quodam sui luminis fulgore irradiando, dignatur elevare. Quo quidem Orationis genere, præcedentibus multo nobiliore atque perfectiore, neminem DEVS, ut eo tamquam habitu utatur, donare solet: eamque ob causam, ad gratias gratis datas meritò reducitur. Quam profectò Orationis sublimem gratiam, per Prophetas suos promiserat DEVS liberalissimè se legis Evangelicæ tempore donaturum atque effusurum: hoc est enim quod prædicit Zachariæ 12. Effundam super domum David, & super habitatores Jerusalem Spiritum gratiæ & precum. Effundam, inquit, abundantiam, copiam, excessum, exuberantiam significans: nam ut benè notavit sanctus Hieronymus ad Hedibiam quæst. 9. verbum effusionis significat gratiæ largitatem: quæ abundantia non habitualem solùm, quam gratum facientem vocamus, sed & gratis datam sive actualem cumulo largitatis suæ complecti videtur, ut apertiùs prædixit Joël cap. 11. Post hæc, ait, effundam Spiritum meum, & prophetabunt filii vestri, senes vestri somnia somniabunt, & juvenes vestri visiones videbunt. Manifesta verba sunt de genere gratiarum, quas gratis datas vocamus, cujusmodi sunt, Prophetiæ, Revelationes, Visiones, aliaque mentales perceptiones. Exponitur tertius.

Atque hæ sunt tres Orationis infusæ species, secundùm quas plenissimam Orationis & Contemplationis distinximus dissertationem. Nam, cùm una harum, ut modò dicebamus, à virtute infusa morali Religionis, altera à Spiritus sancti dono, tertia à gratia gratis data, promanet: operæ pretium videbatur, unamquamque separata explanare tractatione. Atque adeò prioris illius, quam etiam acquisitam (industriâ nimirum humanoque labore, non sine opera tamen Spiritus sancti comparabilem) nuncupabamus, de qua plurimi tam antiquorum quàm modernorum plenissime disseruerunt, nos brevi ac plano compendio tractationem absolvimus. Nunc, sublime istud secundi generis Orationis donum à Spiritu sancto, divino potiùs quàm humano modo promanans sermone prosequimur: ad quod etiam meritò reducitur tractatus ille, de Divina contemplatione nuper à nobis in lucem editus, & typis Plantinianis Antuerpiæ excusus. De sublimissima, saltem quantum ad modum, illa tertii generis Orationis gratia gratis data, nemini ob suam dignitatem & nobilitatem habitualiter concessa, posteà, divino aspirante Numine, tractaturi sumus; simul admirabilem in spirituali vita latentem cœlestis harmoniæ concentum, quo divinas operationes, earumque incredibilem connexionem non obscurè conjicere atque æstimare liceat, dilucidè exponentes. Quodnam sit principium harum trium Orationis infusæ specierum?

Scimus certè, & libenter agnoscimus, non sufficere exilitatem nostram præ hebetudine cordis nostri, ad perspicienda, multoque minùs ad sermone & stylo prosequenda universa harum Orationum genera, mirabilemque earum seriem & contextum: tanta enim & tam sublimia sunt hæc, ut non nisi magna animi puritate ac rerum spiritualium experientia, & sancti Spiritus illuminatione comprehendi ullatenus possint. Attamen divino freti auxilio, etsi non quantum exposcit tantæ rei dignitas & magnitudo, secundùm ex- Quam sit difficile de tam sublimibus

oratio-nis gradibus doctrinâ tradere.

perientiæ nostræ mediocritatem (quam fatemur esse exiguam) utcumque digereretentabimus ; conantes pro ingenii nostri tenuitate, naturæ suæ difficilem, arduam, mysticam & obscuram hanc tractationem, ab obscurioribus & symbolicis Mysticorum terminis & dicendi modo, quibus obvoluta & obtenebrata horrorem contraxit, multisque incußit, vindicatam & expurgatam, ad faciliorem & omnibus notam ac fermè Scholasticam loquendi phrasim reducere : eniteres in primis, sine ullo argumentorum strepitu ac disputatione, mysticam hanc scientiam in solida Scripturæ sacræ ac sanctorum Patrum fundare doctrina, quam, claram sinceramque, & Scholasticæ Theologiæ principiis optimè cohærentem, periti Theologi probè cognoscunt, minùs etiam docti facilè & sine obscuritate invenire atque percipere valeant.

Scopus Authoris in his scribendis libris.

Porrò intentionis nostræ acies eò tendit, ut animam ad DEVM à sæculi vanitate conversam, à primis Orationis rudimentis, atque ab ipso spiritualis suæ nativitatis exordio, usque ad perfectam ejusdem vitæ ætatem perducamus; & viam, media, modum, quibus clementißimus DEVS eam per omnes ætates spirituales, de virtute in virtutem, de gradu in altiorem Orationis gradum, quousque in Sion nudus se præbeat videndum oculis, veluti manuducit, exponamus, & digito (ut aiunt) demonstremus. In sacris enim Scripturis ac sanctorum Patrum libris, si attentè eorum doctrina recolatur, constat non obscurè ea, quæ ad spiritualem doctrinam pertinent deduci : sunt enim reconditæ quædam venæ atque aurifodinæ uberrimæ, è quibus pretiosißimum aurũ Mysticæ Theologiæ eruatur, licet non sine assiduo lectionis, studiiq; frequentis labore, atque ob nimiã ejusmodi mysteriorum profunditatem & intellectus nostri tenebras, non sine particulari divinæ irradiationis luce. Et quidẽ fateor, me in eruendo thesauro isto per quadraginta, aut circiter annorum spatium (consultis quamplurimis, tam nostræ, quàm aliarum Religionum, insigni harum supernaturalium rerum experientiâ præditis, à quibus quamplurima discere potui) me totum, multis etiam laboribus & molestiis exantlatis, impendisse : & quamvis non cum omnimoda plenitudine omnes, de quibus hic ago, experimentaliter gustaverim materias, de micis tamen, quæ aliquando cadunt de mensa Domini, quid ille cœlestis panis sapiat, facilè potest conjici, & ex modico vino quod prælibatur, & ad probationem gratis propinatur, majorem copiam emere cupientibus, facilè, divina adjuvante gratia, discerni potest, quanta sit illius spiritualis vini dulcedo & suavitas, quod in cella vinaria penitiùs reconditum asservatur, ad solius quidem sponsæ, cui soli ad cellam patet ingressus, plenarios usque ad ebrietatem usus : cujus tamen haustus aliquot vini Dominus aliis, quibus expedire judicaverit, propinare solet, juxta illud: Bibite amici, & inebriamini charissimi. Amici ad sobrietatem, charißimi ad ebrietatem.

Fateor etiam, majoribus cum laboribus, & diligentius insudasse me annis pluribus, ut è divinis illis ac supernaturalibus thesauris aliquid non sine magno labore depromerem, quo Religiosis, aliisque spiritualibus viris, DEO eorum animos intus instigante, calcar adderem indefessè & strenuè cœlestia has perquirendi divitias abundantis gratiæ DEI, quæ etiam à se peregrinantes in hac vita servos suos, secum intimè unens, totos, ut ignis ferrum, in se transformat.

Summa certè gloria est & summum decus (rarißimis licet concessum) tam immediatam supremæ Divinitatis, in hac mortali peregrinatione, etsi per modum transeuntis, possessionem attingere. Licet enim nũ ita clarè ac continuè sicut in patria, seipsum DEVS in via exhibeat : patitur tamen, in suo lectulo recumbens, se sub involucris & velamento fidei nonnumquam inveniri, tangi, & amorosis amplexibus, mira quadam ac ineffabili sponsæ voluptate detineri, sibique tot votis & desideriis expetitum, tot laboribus, molestiis, & afflictionibus, quæsitum figi permittit osculum, veri amoris sigillo felicißimè signatum.

Lectio librorũ S.M.Teresiæ plurimum profuit Authori hujus Operis.

Desiderium autem tanto studio investigandi Orationis sinu reconditæ bona, ingessit mihi lectio librorum S. Matris nostræ TERESIÆ à JESU. Peculiariùs tamen occasionem huic Operi præbuit locus ille, ubi de supernaturali hac ac divina agit cum DEO unione, & de indeficientibus, qui ex illa promanant thesauris, quamque liberaliter illos locupletet DEVS, qui in veritate illi famulari conantur, quæ me ad Religionis suscipiendum habitum præcipuè incitarunt, summopere desiderantem atque unicè optantem supernaturales illas opes, & absconditum investigare thesaurum, atque ad sapidißimum illum, continuos etiam per labores, pertingere aquarum viventium fontem. Fateor tamen, & quidem libenter, etiam evolutis diligentißimè plurimorum virorum doctorum scriptis, non potuisse me per annos plusquam viginti, speculativè etiam, percipere, quidnam esset suprema & cœlestis hæc animæ cum DEO unio, tot SS. Patrum encomiis ac laudibus celebrata, tot Mysticorum Doctorum scriptis mirificè commendata : donec tandem divina illa bonitas, lumen, quod manibus absconditum tenebat, aliqua data occasione, aliquantisper mihi reseravit; quo quidnam ista sit unio, & in quo præcipuè cõsistat, capere possem. Confido quoque quòd per divinæ bonitatis gratiam alius (rudiori licet stylo) eam aliquatenus explicare & aperire potero, ut cognita atque perspecta hac supernaturalium divitiarum abundantia, summaque DEI erga fideles servos suos liberalitate & munificentia, toto omnes animo ferantur ad cœlestes illas aquas avidißimè hauriendas.

Atque hac spe & fiducia fretus, æternæ sapientiæ thesauros exponere in publicum atque omnium utilitati erogare sum ausus; potest namque DEVS noster, quod vult, per quem, & sicut vult manifestare.

Ad te, ô Sapientia, recto cursu redit & tendit omnis hic noster labor, Tu, quæ in excelso residēs cœlorũ throno, ô Verbum, per quod facta sunt omnia, adesto mihi, largag, liberalißimæ manus tuæ benedictione in me gratiæ bonitatis tuæ fluenta profunde : ut & ego ad sanctitui nominis exaltationem, amoris tui sanctißimi ac suavißimi arcana & veneranda mysteria, in alios effundam, atque spiritualis castißimique connubii tui delectabilia gaudia depromam. Tu interea, amice Lector, labore nostro, quem sanctæ Matris Ecclesiæ judicio ac doctorum censuræ submitto, lubens fruere, & vale, mei apud DEVM Optimum Maximum memor.

DE